

particularis deputata ab Alexandro VII. apud De Luca *De Pension. disc. 56. n. 10.* et Episcopi titulares De Luca *De Pension. Disc. 43. 58. et 75.*

32. Tandem animadvertimus pensionem nec vendi posse nec locari ad longum tempus. Ratio est, quia pensiones nihil aliud sunt quam portiones fructuum bonorum ecclesiasticorum quorum venditio et locatio ultra triennium absque beneplacito Apostolico vetita est a Paulo II. in Const. *'Ambitiosæ' inter Extrav. comm.* in tit. *De Rebus Ecclesiæ non alienandis.* Præterea præstat referre dispositionem Benedicti XIV. in Const. *'In sublimi' IV. Kal. Sept. 1741.* Scilicet cum aliqui clerici beneficium possidentes ea resignabant cum reservatione pensionis approbante Summo Pontifice, sed eodem tempore pactum privatum inibant extinguendi pensionem, mediantibus quibusdam anticipatis solutionibus; Benedictus hæc pacta tamquam injuriosa S. Sedi, et injusta, et vilia condamnât, et irritat; necnon irritat extinctiones pensionum annuarum per unam tantum simul anticipatam solutionem, jubetque hanc solutionem restitui, simulque tam resignantes quam resignatarios ad beneficium possidendum, et ad accipiendam pensionem inhabiles reddit.

TITULUS XIII.

De rebus Ecclesiæ alienandis vel non.

1. Alienatio, si stricto sensu sumatur, secumfert ideam transitus rei de uno in alium dominum. In sensu tituli nomine alienationis lata significatione accipitur ut scilicet exprimat actum, quo in alium transfertur dominium sive plenum, sive solummodo directum aut utile, aut etiam ususfructus, aut jus quoddam rerum Ecclesiæ; etiam jus hypothecæ, *c. 5. h. t.* Hinc nomine alienationis prohibita veniunt contractus ex quibus fieri pejor conditio posset Ecclesiæ, et induci posset amissio alicujus juris. Proinde sub hoc nomine veniunt donatio, venditio, permutatio, constitutio pignoris et hypothecæ concessio in feudum vel emphyteusim, transactio vel centio super rebus Ecclesiæ.

2. Ecclesiæ nomen pariter in sensu lato accipitur ita ut significet non solum locum, in quo cultus Deo præstatur sed quodcumque religiosum institutum, auctoritate ecclesiastica erectum, ad opera religionis vel charitatis destinatum. Hinc nomine Ecclesiæ

in sensu tituli veniunt hospitalia, xenodochia auctoritate Ecclesiæ erecta, Monasteria, Congregationes, et collegia ecclesiasticarum personarum.

3. Nomine rerum quæ sub rubrica tituli cadere possunt, veniunt res pretio æstimabiles. Excluduntur igitur res mere spirituales, prout sunt jura sacra, aut res, quæ ob religiosam indolem et naturam extra commercium positæ sunt et pretio non æstimabiles, quemadmodum sunt reliquiæ Sanctorum.

4. Quæ vero pretio æstimari possunt, et corporales seu temporales dicuntur 1^o. aliæ sunt immobiles aliæ mobiles vel se moventes. Nomine rerum immobilium veniunt prædia, fundi et jura vel servitutes reales, quæ fundis adhærent.

Res mobiles aliæ sunt quæ servando servari possunt, aliæ quæ servando servari non possunt, quæque scilicet ad modicum tempus, idest non ultratriennium solummodo possunt servari, et inde corumpuntur ex. gr. fruges, et arborum fructus, aut res mobiles quæ usu consumuntur et non fructificant. Conf. Fagnan. in *c. 5. h. t. n. 23.* Insuper res mobiles aliæ sunt pretiosæ, aliæ vero non. Pretiosæ sunt quæ vel thesaurum Ecclesiæ constituunt, vel singularis splendoris, et ornamenti causa sunt pro eadem. Hinc quædam res dicuntur pretiosæ ob quantitatem vel qualitatem materiæ, ex qua constant ex. gr. lapides qui pretiosi dicuntur, notabilis quantitas seu pondus argenti vel auri. Quædam vero res dicuntur pretiosæ ob celebritatem operis et artificis famam ex. gr. elaborata incisio, pictura perillustris auctoris. Se moventes etiam possunt in pretiosas dividi et non pretiosas. Pretiosæ habentur quæ vel ex quantitate vel ex fructu quem ordinarie referunt, divitias Ecclesiæ constituunt. Sic ex. gr. dum ovis non est res pretiosa tamen grex totus est res pretiosa et magnum valorem præ se fert, et ex eo diuturnum emolumentum fructusque annuos percipere solet Ecclesia.

5. Si quærat utrum pecuniæ quantitas ceu res pretiosa haberi debeat vel non, respondendum est regulariter pecuniam non comprehendi sub censu rerum pretiosarum quia reposita nullum affert fructum. At si pecunia numerata sit in magna quantitate ac proinde considerari possit ceu thesauri pars notabilis designata pro rebus immobilibus comparandis, vel Ecclesia ædificanda aut reparanda, etiam ipsa pecunia inter res mobiles pretiosas adnumeratur *arg. l. 3. ff. de contraria tutela, vel utili actione.*

6. Res pariter immobiles in duas classes dividuntur, ut aliæ exigui, aliæ magni valoris esse dicantur. Exigui valoris sunt quæ comprehenduntur in celebri can. *terrulas 53. c. 12. q. 2.* quæque alienari poterant ex veteri jure a Prælati sine consensu Capituli. Ex practica interpretatione, res hujusmodi illæ dicuntur quarum valor 25 scutata aurea de camera non excedit, scilicet scutata antiquæ monetæ Romanæ 41 idest francos 220,37. Communiter vero harum rerum valor protenditur ad 50 scutata antiquæ monetæ romanæ idest fr. 268,75. ita scilicet ut prædia et aliæ res immobiles dicantur exigui valoris, quæ hunc pecuniæ valorem non excedunt. Quæ vero excedunt appellantur magni valoris.

7. Quæritur, quænam regula servanda sit in alienatione rerum Ecclesiæ?

Intentio juris nostri est ut res Ecclesiæ conserventur ne divinus cultus, et decus Ecclesiæ imminuatur, ne ministri sacri careant necessaria et honesta sustentatione, et ne desint media pro pauperibus sublevandis. Hanc conservationem tueri volens canonicum jus in genere prohibet alienationem bonorum Ecclesiæ *c. 5. h. t.* cujus prohibitionis ratio desumitur etiam ex periculo ne aliqui administratores quærentes magis quæ sua sunt quam quæ sunt Ecclesiæ patrimonio ejus præjudicium inferrent.

8. Verum ab ipso jure alienatio bonorum Ecclesiæ aliquando permittitur. In genere autem in hac alienatione a jure duo requiruntur: 1º. Causa legitima; 2º. solemnitas quædam. Causa autem esse potest necessitas vel Ecclesiæ utilitas *can. Terrulas caus. 12. q. 2. et cap. 8. h. t. § Possessiones.* Ex canone autem 70. *Aurum caus. 12. q. 2.* deprehendimus pro rebus mobilibus Ecclesiæ immo etiam pro vasis sacris alienandis causam esse posse ipsam pietatem, seu caritatem pro redimendis captivis et pro sublevandis pauperibus fame pereuntibus. Solemnitas vero est modus procedendi a jure statutus, et servandus in alienatione.

9. In omnibus alienationibus rerum Ecclesiæ legitima causa requiritur. Quid vero dicendum de solemnitate?

1º. Si sermo sit de rebus mobilibus, quæ servando servari non possunt absque ulla solemnitate juris possunt alienari, et ordinarie nisi Episcopus aliter disposuerit, eas res alienat ipse rector vel administrator Ecclesiæ. 2º. Rerum mobilium non pretiosarum, et immobilium exigui valoris dispositio penes Ordinarios locorum residet. Hinc absque alia solemnitate juris alienatio harum rerum ab Epis-

copo ex justa causa fieri potest. *Can. Terrulas c. 12. q. 2.* cujus hic est tenor: 'Terrulas aut vineolas exiguas et Ecclesiæ minus utiles aut longe positas, parvas, Episcopus sine consilio fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habeat potestatem'. 3º. Si sermo sit de rebus immobilibus non exigui valoris, vel de mobilibus aut se moventibus pretiosis, non solum causa requiritur aliqua ex dictis, sed et solemnitas juris ut alienatio viribus consistat.

10. Ex antiquo jure decretalium expresso in *c. 8. h. t. § ult. et c. 1. De his quæ fiunt a prælati,* et *can. 52. sine exceptione c. 12. q. 2.* solemnitas hujusmodi erat ut in alienationibus harum rerum Episcopus exquirere deberet consensum Capituli, qui consensus daretur a majori, et saniori parte. Hinc nec Episcopus sine consensu Canonicorum nec Abbas sine consensu Monasterii poterat alienare res immobiles non exiguas aut mobiles pretiosas. Porro consensus hujusmodi jure decretalium exquirendus erat a Capitulo Cathedralis Ecclesiæ, quando agebatur de rebus, quæ ad capitulum ipsum, vel ad mensam Episcopi, licet a bonis capitularibus separatam, pertinebant, vel quando ipse Episcopus volebat disponere de rebus Ecclesiarum inferiorum *arg. c. 1. h. t.* Ratio est quia jus antiquum Episcopo diœcesim administranti adiutorem constituere Capitulum Cathedralis Ecclesiæ. Verum si agatur de alienatione rei pertinentis ad Ecclesiam inferiorem, quam alienationem peragebat Prælati inferior cum Capitulo suo vel Rector Ecclesiæ quæ carebat Capitulo non requirebatur consensus Capituli Cathedralis Ecclesiæ, sed requirebatur, et sufficiebat auctoritas Episcopi approbantis alienationem *arg. can. Abbatibus c. 2. q. 1. et Clem. 1. h. t.*

11. Quidquid sit de hac solemnitate, quæ ex dictis in tit. X. hujus libri præscribi potest ab Episcopo contra Capitulum, introducta est a Bonifacio VIII. in *c. 2. h. t. in 6º.* nova solemnitas et confirmata a Paulo II. in *Extrav. 'Ambitiosæ' un. h. t. inter Comm.* ut scilicet pro alienandis rebus immobilibus non exigui valoris, et rebus mobilibus aut se moventibus pretiosis requiratur venia Romanæ Sedis, idest beneplacitum Apostolicum. Hæc dispositio communis est non solum pro bonis Ecclesiarum sæcularium sed etiam respicit bona Ecclesiarum regularium. Animadvertendum autem est, aliquas familias religiosas privilegia obtinuisse pro necessitate vel utilitate Monasterii alienandi etiam bona immobilia absque venia Romanæ Sedis et Ordinarii localis; sed ob ab-

usus deinde hæc privilegia revocata fuisse ita ut intra Europam religiosæ familiæ non amplius possint immobilia alienare absque licentia S. Sedis, ceu patet ex decreto Urbani VIII. edito per organum S. Congr. Concilii die 7. Sept. 1624.

12. Animadvertendum insuper est solemnitatem hanc non solum requiri cum alienatio conficitur ab Ecclesia in favorem laicorum sed insuper quando alienatio fit ab una alteri Ecclesiæ. Nam in *c. 1. h. t. in 6º*. requiruntur debitæ solemnitates in alienatione decimarum inter duas Ecclesias.

13. At dantur quædam exceptiones. Ex sensu *c. 5. h. t.* diximus nomine alienationis comprehendendi contractus omnes quibus deterior fieri potest conditio Ecclesiæ. Hinc in genere etiam concessio in emphyteusim, et locatio prohibetur. Quadruplex vero exceptio datur: 1º. si evidens Ecclesiæ utilitas apparet, necessaria non est licentia Romanæ Sedis quoties sermo sit de rebus et bonis in emphyteusim concedi solitis; 2º. si locatio non fiat ultra triennium. De utraque exceptione cavet dicta constitutio Pauli II. *Ambitosæ*. Porro juxta communem sententiam prohibitio locationis ultra triennium verificatur quoties res fructificat quolibet anno, non vero, quando ex re locanda fructus percipiuntur quolibet biennio solummodo, aut quolibet triennio. Hoc enim in casu locatio fieri potest vel ad sexennium vel ad novennium. Nam in Const. *Ambitosæ* dum prohibetur locatio ultra triennium respicitur fructus triennalis idest triennium fructuum, non vero spatium ipsum temporis triennii. At non facile admitteretur locatio ultra novennium.

3ª. Exceptio a lege Pauli II. in cit. const. datur quoad res immobiles exigui valoris. Nam ceu refert Fagnanus in *5. h. t. n. 25*. S. Congregatio Conc. declaravit die 11. Jan. 1596, canonem *Terrulas* non fuisse abrogatum tum a Paulo II. in Const. *Ambitosæ* tum etiam a Conc. Trid. in *c. 11. sess. 25. de Ref.* Hac vero in re duo sunt animadvertenda: 1º. Privilegium concessum Episcopis in can. *Terrulas* extendi etiam ad Abbates *vere nullius*, non autem competere aliis superioribus regularibus etiam majoribus. *Decr. S. Congr. diei 17. Novem. 1703* relat. a Card. Petra Com. in Const. v. *Pauli II.*

2º. Nec admitti potest abusum Episcopi qui res magni valoris per plures alienationes modicas diversis vicibus distrahat: censentur enim alienationes istæ partiales factæ in fraudem legis. Ita declarasse S. Congr. Conc. refert idem Petra *cit. loco n. 65*.

4º. Locum non habet Pauli II. Const. quando sermo est de alienatione quæ fiat ex necessitate juris. Ex. gr. si legata sit res ut vendatur, et pretium in pios usus convertatur.

De pœnis contra male alienantes.

14. Inter veteres canones habemus *can. 13. et 22. c. 12. q. 2.* ex quibus deprehendimus olim constitutam fuisse pœnam excommunicationis, et depositionis contra alienantem absque necessitate bona Ecclesiæ. Porro depositionis pœna statuta etiam erat contra Episcopos et Abbates alienantes bona Ecclesiæ *can. 19. c. 12. q. 2.* In *c. 5. h. t.* canonica virtus tribuitur constitutioni Leonis Imp. *l. Jubemus. C. de sacr. Eccl.* in qua decernitur, nullius valoris esse alienationem rerum immobilium Ecclesiæ. Hanc sanctionem nullitatis alienationis confirmavit Paulus II. in Const. *Ambitosæ*, eamque extendit ad res mobiles pretiosas.

15. Præterea si alienatio rerum ecclesiasticarum fiat contra canonicas leges, tam alienator, quam ille cui alienatio fiat excommunicationi subjiciuntur *c. 5. h. t.* et extr. *Ambitosæ*. Pauli II. Porro juxta citatam constitutionem ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur temeraria præsumptio. Hinc excusat ignorantia tum juris, tum facti, nisi ea fuerit crassa, et supina, quæ dolo comparatur. Notandum autem est: pœnam excommunicationis statutam in extr. *Ambitosæ* renovatam fuisse in Const. Pii IX. *Apostolicæ Sedis IV. Id. Oct. 1869* eamque recenseri inter excommunicationes nemini reservatas. Præterea si alienantes bona Ecclesiæ contra regulam Const. *Ambitosæ* præfulgeant dignitate pontificali, vel abbatiali, subjiciuntur pœnæ interdicti ingressus in Ecclesiam. Quod si in interdicto, et in obstinata voluntate alienans perseveraverit per sex menses, hisce elapsis, a regimine, et ab administratione suæ Ecclesiæ, vel Monasterii in spiritualibus et temporalibus suspenditur ipso facto. De hoc autem interdicto tacet cit. Const. *Apostolicæ Sedis* adeoque non amplius viget. Inferiores autem prælati vel Clerici habentes dignitatem, personatum, officium, beneficium, præbendam vel administrationem, si alienent bona proprii beneficii, vel dignitatis etc. ipso facto decidunt a jure beneficii, ita ut de ipso tamquam de beneficio vacante collator ordinarius providere possit. Animadvertendum vero est Const. Paulianam *Ambitosæ* non ubique fuisse receptam teste Bened. XIV. *De Syn. l. 12. c. 8. n. 9.* qui etiam animadvertit juxta plurimum

auctorum sententiam in locis, ubi non est recepta, non valere quidem quoad pœnas incurrendas, vigere tamen pro actu nullitate: quia Apostolicum beneplacitum in Const. *Ambitiosæ* videtur locum tenere solemnitatis, quæ formam et valorem afficit actus.

16. Ut vero hujusmodi pœnæ incurrantur, alienatio debet esse completa. Hinc si revocetur alienatio ante traditionem excommunicatio non incurritur *c. 6. h. t.* nam res alienata proprie non dicitur nisi fuerit tradita.

17. Quæstio non inutilis proponenda est utrum scilicet Prælatus vel alius administrator Ecclesiæ repudians sine causa legatum oblatum Ecclesiæ præsertim in rebus immobilibus censeatur incurrere pœnas constitutas contra male alienantes bona Ecclesiæ?

Quamvis hæc repudiatio legati videretur esse alienatio rei Ecclesiæ, quia ex lege civili res legata dicitur recta via transire ab eo qui legavit ad legatarium, tamen intimius alienationis inspecta indole, dicendum est hanc repudiationem non esse proprie dictam alienationem. Nam alienatio vera locum non habet quando repudiatur res quæ non pertinet ad Ecclesiæ dominium quemadmodum in *l. 2. ff. De Verb. sign.* exprimitur: 'Qui occasione acquirendi non utitur, non intelligitur alienare'. Atqui res legata non censetur fuisse Ecclesiæ, si fuerit repudiatum legatum, ex principio posito in *l. Si tibi homo § Cum servus ff. De legato.* Igitur repudiatio legati cum non sit vera alienatio nec secumfert pœnas alienationis, scilicet non incidit sub sanctionem legum prohibentium Prælati, et aliis administratoribus Ecclesiarum alienationes rerum ad eas pertinentium, præsertim cum aliud sit alienare quod suum est, aliud non acquirere quod est alienum: et in casu repudiati legati Prælatus videtur potius non acquirere quod est alienum quam imminuere patrimonium, quod habet Ecclesia. Hinc repudiatio hæc absque causa, et solemnitate juris facta a Prælato vel alio administratore valet.

18. At cum repudiatio hujusmodi Ecclesiæ damnum certe inferat, duplex remedium conceditur a jure ad idem damnum sarcendum. Primum remedium est actio personalis contra prælatum recusantem vel ejus hæredes ad præstandum quanti interest non fuisse acceptatum legatum. Secundum remedium est beneficium restitutionis in integrum exemplo minorum *l. 7. ff. § 6. et seq. De Minoribus* et *c. 1. De in Integr. Restit.* Quod de repudiato legato dictum est, applicari merito potest repudiationi hæreditatis.

De revocatione alienationis.

19. Revocari bona Ecclesiastica male alienata possunt et debent: 1^o. ab ipso rectore, seu prælato, qui alienaverit *c. 6. h. t.* Nec obstat principium juris expressum in *l. cum. a Matre c. De Rei vindicat.* 'neminem posse venire contra factum proprium'; nam principium hujusmodi tunc revera locum habet, quando quis nomine proprio, et pro sua particulari utilitate velit insurgere in factum proprium non vero quando procedit nomine tertiæ personæ, et in casu nostro nomine Ecclesiæ et pro ejusdem commodo. 2^o. A successore prælati vel clerici alienantis *c. 2. De precariis.* 3^o. Negligente rectore vel prælato Ecclesiæ agere possunt, et debent ad revocandam alienationem clerici omnes addicti servitio Ecclesiæ cujus bona alienata sunt *c. 6. h. t.* Immo clerici hujusmodi puniri possunt si scientes res propriæ Ecclesiæ fuisse absque solemnitatibus alienatas contra alienationem non insurgunt *c. 6. h. t. in 6^o.*

20. Revocatio autem duplicem respicere potest casum: casum nempe validæ alienationis ob servatam formam juris, et casum invalidæ alienationis ob non servatam eandem formam. In 1^o. casu si graviter læsa est Ecclesia, eo quod quamvis videretur adfuisse justa et legitima causa, tamen hæc revera non aderat, competit Ecclesiæ beneficium restitutionis in integrum quo resolvitur contractus, et res in eum statum restituitur in quo fuerat ante contractum. Idest Ecclesia recuperat bona sua alienata, et simul restituit alteri id, quod ex alienatione receperat *c. 11. h. t.* Ditiorem enim fieri non debet Ecclesia ex bonis alienis.

21. In 2^o. casu habet Ecclesia tum actionem personalem contra prælatum vel alium administratorem beneficii, et ejus hæredes, ut servetur indemnis *can. Minorum c. 12. q. 2.* tum actionem realem ad persequendam rem penes quemcumque possessorem, ut res ipsa restituatur cum omnibus suis fructibus, et accessionibus *c. 6. h. t.* Nam per alienationem ipso jure nullam dominium translatum non est, sed in ipsa Ecclesia permansit, et per consequens Ecclesia persequitur res suas.

TITULUS XIV.

De precariis.

1. Precarium ab Ulpiano in *l. 1. ff. De precario* definitur: 'Precarium est quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu qui concessit patitur'. Precarium igitur est contractus civilis juris.

2. Jus vero Canonicum novum hac in specie introduxit contractum quem precarium, vel precarius dixit, quique definiri potest 'Contractus a jure canonico introductus quo alicui ad preces conceditur res ecclesiastica frugifera, et immobilis ad usum, vel usumfructum pro certo tempore, vel ad dies vitæ ita tamen ut singulis quinquenniis renovatio hujus concessionis peti debeat: ita *cann. 3. et 5. c. 20. q. 2. et c. 1. h. t.*

Contractus hujusmodi est species liberalitatis Ecclesiæ, qua solita fuit de re christiana optime meritis remunerationis, et grati animi erga bona sua utenda, fruenda concedere. Hinc nil mirum si pro suo modo, et prudentia normas contractui huic dederit Ecclesia, formamque novam induxerit distinctam a contractu precario qui juris civilis est.

3. Precariæ vero differunt a precario 1^o. quia preciarum objectum est res immobilis, cum precarium civile tum immobiles tum mobiles res comprehendere potest. 2^o. Precarium juris civilis est ad tempus indeterminatum, et perseverat rei usus quoadusque dominus eam ad se non renovaverit, preciarum vero concessio tempus habet determinatum, vel saltem pendet a vita illius cui facta concessio est. Hinc in *c. 3. h. t.* et circa finem Greg. IX. ait: 'Precariæ quæ quandoque de Ecclesiarum possessionibus fieri solent non sunt pro voluntate concedentium revocandæ' scilicet quoad durationem ususfructus servanda est lex concessionis.

4. 3^o. Speciale est hujus contractus ut quolibet quinquennio debeat renovari, ne memoria beneficii pereat, et processu temporis fingatur forte titulus vel ad perpetuandum usumfructum, vel ad ipsam proprietatem rei sibi adscribendam. Animadvertimus etiam res Ecclesiæ posse dari ad preces alicujus, ut retineantur quoadusque placuerit concedenti.

5. Qua in re tamen duo notanda sunt: 1^a. Res Ecclesiæ sacras non posse concedi nisi ad usus sacros. 2^o. Res quæ precario conceduntur quamvis possint, quando placuerit, revocari, tamen non

posse revocari præcipiti intimatione cum gravi damno illius qui eas possidet ex concessione. Nam concessio hæc beneficium exhibere debet non vero damnum inferre, et injuriam. Hinc merito jus Romanum in *l. in commodato § sicut ff. Commodati vel contra* statuit principium 'adjuvari quippe nos non decipi beneficio oportet'. Cum contractus precariæ speciem liberalitatis exhibeat has condiciones excludit quæ damnum Ecclesiæ inferrent. Hinc ex *c. 2. h. t.* irrationabiles precariæ concessionem non valent et successor in Ecclesia non obligatur pœnis quas antecessor apposuit pro securitate contractus seu pro observantia concessionis irrationalis.

Pariter cum contractus hujusmodi contineat alienationis speciem, perfici nequit nisi ex gravi causa, et adhibitis solemnitatibus juris quæ in alienationibus rerum ecclesiasticarum requiruntur.

6. Expirat vero preciarum contractus: 1^o. morte illius cui concessum fuit jus utendi, fruendi: etenim est beneficium personale in gratiam meritorum personalium; 2^o. finito tempore designato in concessione, si præfinitum illud fuerit; 3^o. si possessor rem alienaverit aut graviter læserit; 4^o. si elapso quinquennio non postulaverit contractus renovationem.

TITULUS XV.

De Commodato.

1. Prosequitur tractatio de contractibus quos institutos a jure civili suos fecit jus nostrum.

Commodatum definitur 'rei alicujus non fungibilis ad aliquem specialem usum gratuito facta concessio'. Dicitur concessio gratuita, si enim pro usu merces rependeretur, aut aliquid loco mercedis, haberetur potius contractus locationis, et conductionis. Hinc commodatum quod utilitatem parit uni solum ex contrahentibus nempe commodatario non vero commodanti, pertinet ad contractuum unilaterialium classem. 2^o. Res conceditur ad aliquem specialem usum.

2. Ex hac qualitate contractus commodati plura consecutaria descendunt. 1^o. Si rei usus concedatur, non vero dominium, sequitur materiam hujus contractus esse solummodo res, quæ usu non consumuntur: hinc res fungibiles commodari non possunt. Possunt vero commodari etiam res sacræ dummodo usibus profanis non destinentur. 'Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius

transferendum'. Ex principio superius posito sequitur 2^o. commodatarius non posse rem adhibere ad alium usum, nisi ad quem commodata fuit. Quæ conditio adeo servanda est, ut si commodatarius ad alium usum rem commodatam transferat juxta leges civiles teneatur de furto *l. Si ut certo § Nunc videndum ff. h. t.* Commodans autem non potest impedire usum concessum, quod si fecerit, commodatarius habet actionem quæ dicitur *actio commodati contraria*, contra commodantem, ut ei usum rei commodatæ restituat, et damna sarciat. Immo ne usus in hoc contractu frustretur, leges dederunt eandem actionem commodatario, quoties commodans scienter commodaverit rem vitiosam. Sequitur 3^o. expirante tempore usus præfiniti, aut cessante ipso usu rei commodatæ, cessare ipsum commodatum, et commodatarius restituere debere rem commodatam in sua specie. Hinc restituendus est equus commodatus non vero alius pro eo. In hoc enim commodatum differt a mutuo: ut in mutuo genus restituatur, in commodato autem ipsa res in sua specie restituenda sit.

3. Quid vero si res immutata est et passa est damnum?

Si damnum hujusmodi sit consecrarium usus rei, reficere illud commodatarius non obligatur; immo ad nihil tenetur commodatarius si absque sua culpa in usu res pereat *l. ult. ff. h. t.* At cum sit contractus gratuitus, et proinde unilateralis, commodatarius in cuius utilitatem penitus vertitur contractus, tenetur rem commodatam exactissima diligentia custodire. Hinc non solum tenetur præstare dolum, sed etiam culpam levem, et levissimam, illam scilicet, quæ opponitur vigilantia diligentissimi patrisfamilias. Ita *c. un. h. t.* post leges civiles in *cit. l. Si ut certo § Nunc videndum ff. h. t.* et in *l. In rebus § 1. ff. h. t.*

4. Casum vero fortuitum non præstabit commodatarius, nisi 1^o. se obligaverit ex pacto ad illum præstandum; 2^o. nisi ex ejus culpa factum sit ut res in ea conditione reperiretur, in qua casum fortuitum seu infortunium subiret; 3^o. nisi commodatarius in mora fuerit restitutionis, et interim res commodata passa est casum fortuitum *c. un. h. t.*

5. Expleto usu, vel elapso tempore præfinito commodans habet actionem directam contra commodatarius, ut sibi restituat rem, et damna, si res ex ejus culpa facta sit deterior. Commodatarius autem habet actionem commodati contrariam contra commodantem

ut sibi reficiantur majores expensæ factæ pro conservatione rei commodatæ: dixi majores, nam ordinariæ, et minores expensæ gravant commodatarius.

TITULUS XVI.

De Deposito.

1. Depositum aliquando sumitur pro re, quæ alicujus fidei custodienda traditur, aliquando pro contractu, quo rei custodia committitur. Depositum sub hoc respectu definitur: 'Contractus quo res alicui gratis custodienda traditur'. Qui rem custodiæ causa tradit, dicitur deponens, qui eam recipit, depositarius.

2. Ex definitione plura sequuntur: 1^o. In hoc contractu custodiam rei concedi ut integra restituatur, non vero concedi usum rei: ex qua conditione depositum distinguitur a precario et a commodato. Quod si depositarius utatur re deposita sine consensu vel expresso vel tacito deponentis juxta leges civiles reus furti perhibetur *l. Si sacculum ff. h. t.* Cum in hoc contractu solum custodia tradatur, contractus hic perficitur in commodum deponentis. Hinc sequitur 2^o. rem esse restituendam quoties deponens eam requisierit *c. 2. h. t.* Nec obstat tempus fuisse præfinitum custodiæ, nam tempus præfinitur contra depositarium ad determinandam ejus obligationem, quatenus nempe non possit cogere deponentem ad rem suam recipiendam, sed teneatur rem depositam custodire per integrum tempus in contractu designatum. Verum si novum quid emergit quod restitutionem reddat noxiam vel privato deponentis bono, vel bono societatis, restitutio poscenti facienda non est. 3^o. Custodia hæc est gratuita: hinc regulariter nulla intercedere debet merces.

3. Quæritur an clerici possint onus suscipere depositarii?

Responsio affirmativa datur ab Alex. III. in *c. 1. h. t.* Ratio ex eo deducitur quod contractus hujusmodi rejicit indolem contractus mercenarii, qui clericum non decet, sed potius induit naturam obligationis fiduciæ inter amicos existentis. Potest vero depositum tradi Ecclesiæ, vel loco pio, cujus clericus sit rector, vel administrator, aut fieri potest clerico uti personæ singulari. In primo casu si res pereat vel deterior fiat ex dolo vel culpa pulsari potest ipsa Ecclesia vel locus pius, quia principaliter obligantur erga depositorem qui Ecclesiæ fidei rem suam credidit. In secundo casu cum censeatur electa industria personæ clericus ipse